



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Ambresbyriae, Sev In Vrbe Ambrosii VViltonensi pago
celebratum anno Christi DCCCCLXXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

BENEDICTVS C. CALNÆ VILLÆ. OTTO II. IMPERATOR.
P. VII. S. EDVWARD. R. ANGLIÆ. 199

ANNO CHRISTI
977. studio tuentibus, solarium totum repente cum axibus &
trabibus diffiluit & concidit. Omnibus ad terram elisis, fo-
lus Dunstanus stans super vnam trabem quæ superstes erat
euasit probe: reliqui vel exanimati, vel perpetui languoris
compede detenti. Hoc miraculum archiepiscopo exhi-
buit pacem de clericis, omnibus Anglis tunc & deinceps
in eius sententiam concedentibus. *Hæc e Malmesburio Ba-*
ronius. De eodem Henricus Huntingdonensis hifl. lib. 5. Edvvar-
di sancti regis anno quarto omnes optimates Anglorum
ceciderunt a quodam solario apud Calne, præter sanctum
Dunstanum, qui trabe quadam apprehensa restitit. Vnde
quidam eorum valde læsi sunt, quidam vero mortui. Si-
gnum scilicet Dei excelsi fuit, quod proditione & interfe-
ctione regis sui ab amore Dei casuri essent, & a diuersis
gentibus digna contritione conterendi.

CONCILIVM AMBRESBYRIÆ,
SEV IN VRBE AMBROSI VVILTONIensi
pago celebratum anno Christi DCCCCLXXVII.

PRAETER nomen nihil exhibet hoc Concilium. *De hoc ita Vvi-*
goriensis: In Eastanglia apud villam quæ Kyrtlinege no-
minatur maxima Synodus celebratur. Dehinc apud Cal-
ne regiam villam dum alia celebraretur, totius Angliæ ma-
iores natu, qui ibidem congregati fuerunt, excepto Dun-
stano, de solario corruerunt; quorum quidam mortui sunt,
quidam vero mortis periculum vix euaserunt. Tertia apud
Ambresbyrig Synodus celebrata est. Domnaniae præsul
Sidemannus obiit. *Hæc ille, d^o inferior Iornalensis:* Celebratæ
sunt (*inquit*) in Anglia tres Synodi; prima apud Kerlyn-
ge, secunda apud Calne, vbi omnes proceres, excepto
Dunstano, de solario corruerunt: tertia fuit Ambresby-
ri. Anni non meminit, sed hæc ille in Edgari regis vita posuit.